

05

A

1455





58

DE. USURIS.


PRÆSIDE.

JO. FRIDERICO. SCHARFIO. F.P. ADJ.

PUBLICÆ. DISPUTABIT.

SAMUEL. JORISCH. TORGA - MISN.

AD. D. XXVII. M. JUL. CL. I. CC. LXX. H. LQ. C.



VVITTEBERGÆ.

LITERIS. VVENDIANIS.



VIRO

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo,
Prudentissimo,*

DN. ANDREÆ GEMEN

Jcto & Practico celeberrimo, Reipubl.
item Torgaviensis Consuli, neq non
Syndico meritissimo,

*Patrono, Meccenati, & Studiorum suo-
rum Promotori maximo*

Alterum hoc Specimen Academicum



d. d. d.

Respondens.

05 A 1455



ADSIT NOBIS PROPITIUS
DEUS

&
BONORUM FAVOR!

THESIS I.

U *Sura est lucrum immediatè proveniens ex mutuo (a).* Ordinumur à Definitione, quia, in quacunque re explicanda, ea potissimum attendenda (b). Et cum definitio duplex, nominis & rei: illam præmittimus, cum è re sit, priusquam ad interpretationem veniamus, pauca de significatione referre l. 1. ff. de reb. credit.

II. *Definitio autem nominis est vel primaria, quæ continet Notationem & æquivocationem; vel secundaria, quæ Synonymiam.* Quoad notationem dicitur Usura ab usu, vel ab utendo, teste Varrone (c), dicente: *à pendendo usura est, quod in sortem accedebat, impendium appellatum, quæ cum accederet ad sortem, ex usu Usura dicta, ut sors, quod suum sit sorte.* Divus Ambrosius ita loquitur (d): *Usuram ab usu dictam arbitror, quod, ut vestes usu, ita usuris patrimonia scindantur.* Quorum etymologiam amplexi quoque sunt non obscuri nominis & ingenii Jcti, quos inter Duareng, Bronchorst, Donello, Borcholt, Hottomannus, Treutlerus & alii. Græcis vocatur τὸν ἀπὸ τῆς ἀρῆς, quod usura sit parvus pecunia, s. lucrū quod pecunia quasi parit (e). Quem in locum Ambrosius iterū eleganter differit: *Lepores ferunt generare simul & educare & continuo parturire.* Istis quoque Anaglypha-

A 2

(a) Johan de Dicastillo, lib. 2. de just. & jur. tractat. 10. disp. 1. dub. 4.
(b) uti voluit Decianus Cons. 123 n. 81. vol. 3. Vant. in tract. de null. in pr. Arist. 4. Met. text. 10. (c) Varr. lib. 4. de Ling. Lat. pag. 30. (d) Ambrosius lib. de Tobia cap. 13. (e) Rebuffus in l. usura pecunia, ff. de verb. sign.

phariis Usurarum generatur & supergeneratur usura, enutritur & nascitur, & nata jam parturit. Apud Ebraeos usitatum offendimus vocabulum מִשְׁכָּה quod propriè de morsu serpentum dicitur (f). Per metaphoram translatum est ad denotandum Usuram, à rad. מִשְׁכָּה momordit, per metaph. in usuram dare, usura namq; serpentum more mordet. Hunc in sensum alludit Chrysostronus (g): Usura, inquit, similis est morsui aspidis. Percussus n. ab aspidè qd. delectatus vadit in somnum, & per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum latenter per omnia membra decurrit: Sic qui sub usura accipit, per omnes facultates suas decurrit, & totum convertit in debitum. Et R. Bechai (h) non ineleganter scribit: לְשׁוֹן נֶשֶׁבֶךְ שְׁנוּשָׁךְ כְּנֶהֱשׁ וְאִינוּ מְרִגִישׁ i.e. Vocabulum Nesbech dicitur, quia mordet, sicut serpens, & non sentitur. Talmudici in Bava metzia c. 5. in pr. de immodica usura hoc nomen dici volunt. Translatum a. est nostrum vocabulum ad significandum id, quod ex uniuscujusq; rei tanquam ejus fructus accrescit. Ita Cato de Senectute differens apud Ciceronem utitur: Terra nunquam sine usura reddit, quod accipit. Deinde transfertur etiam ad significandum contractum. Tertio denotat id, quod ex usu pecuniæ alicui mutuo datæ aut rei cujusq; usu consumptibilis sortem ipsam superexcrescit. Ita Cicero (i): cum Senatus, inquit, Publicanos usurâ saepe juvasset, Magistratus à publicanis pecuniam pro usuris auferret auferre. Ita usi quoq; sunt Scriptores tum Ecclesiastici, tum Seculares, quorum singula hîc loca adducere brevitate causa superfedemus.

III. Æquivocatio nunc tollenda, ne foeda nominum & rerum confusio sequatur l. ult. C. de leg. tut. (k) Quia in ambiguo non utrumq; dicimus l. 3. ff. de reb. dub. Sumitur autem vocabulum usuræ, vel materialiter, vel formaliter. Materialiter iterum vel propriè pro quantitate seu argumento successivo accedente ad sortem ejusdem generis; vel impropriè pro qualibet super abundantia. Formaliter pro crimine in rebus commisso. Nobis igitur hîc sermo est juxta acceptionem tertiam, vocis hujus significationem respicientem, nimirum pro quaestu usurario.

IV. Synonyma non negligenda, quia differenti turpe terminos proprios ignorare, & prius determinare rem ipsam, quam terminos.

(f) Buxtorf. in Lexic. Ebr. & Chald. p. m. 486. (g) Chrysostr. homil. in Matth. c. 5. (h) R. Bechai in Comment. in Legem ol. 113. col. 4. (i) Cicero in Verrem. (k) Aristot. 1. Top. cap. 3.

nos percipere (l). Non enim sermone, sed rei est sermo subjectus, c. intellig. 6. Extr. de verb. sig. Germani usurarium delineaturi in hac erumpunt verba: Erläufft mit den Juden. Spiess. Judæi quippe hujus seculi præter illam foeneratoriam, artes ferè nullas exercent. (m) Latini Usuram strictè sic dictam alio nomine *fœnus* appelliant, quod secundum Alphonsum, Arragoniæ & Siciliæ Regem, quasi *funus anime* dicitur. (n). Cui assentit Tacitus (o) inqviens: *tolendum ex civitate illud urbibus fœnebre (seu funebre) malum.* Nonnulli Ictorum vocabulum *Fructus* etiam pro Synonymo venditant, sed minùs rectè. Quamquam enim magnam cum usuris affinitatem & similitudinem habeant, adeò, ut quoq; in l. 34. ff. de usur. dicantur usuræ vicem fructuum sustinere (intellige in b. f. judiciis & fidei commissis ac legatis l. 27. l. 40. § 1. de minor. l. 65. de contrab. compr. l. fin. de per. & commod. rei vend. l. 5. C. de act. empt. l. 1. de pign.) revera tamen differunt (p). Græci Synonymo utuntur vocabulo *το δάνειον* vel *δανεισμός*, *mutuum, fœnus*. Aristoteles totum contractum *την ὀβολοσυκνήν* sc. *τεχνήν*, *artem foeneratoriam* vocat (q). In Sacro Codice hæc Synonyma extant *משכנתא* *mutuatio* (r) *נשך* *debitum, mutuum* (s) & *נטל* *onus, quod eodem redit.* Involvit enim Usura quoddam gravamen, quia est onerosa mutuatio, quam veluti grave onus portare cogitur (t). Item *תרבות* & *מרבית* (u) quod in genere abundantiam s. multiplicationem denotat.

V. Rei definitio constat Genere & Differentia.

Genus est, quod sit *lucrum*, i. e. acquisitio rei, pecunia æstimabilis, aliàs indebita; vel cum quis habet & acquirit, quod aliàs suum non erat. Intelligitur autem hoc loco per *lucrum*, omne quod pretio æstimabile, vel proveniat à manu, vel lingua, vel obsequio, ut patet in his, qui operas suas locant, quas manu vel lingvâ exercent (x). Differentiæ loco adhibetur *immediatè proveniens*, quia si proveniret

A 3

media-

(l) Angel. conf. 100. Prosper Farin. tract. Crim. tit. 5 n. 1 qv. 36. (m) Vid. B. Gerhard. Tom. 6. de magistr. Pol. & Meisner. in Philos. Sobr. part. 3 sect. 1. c. 6. qv. 1. (n) Panormitan. l. 3. de dicit. & fact. Alphonsi. (o) Tacit. lib. 6. Annal. (p) Conf. Gæddeus in Comm. ad l. 121. de V. S. V. Vesenbec. in parat. ff. de usur n. 16. (q) Arist. lib. 1. Decon. c. 1. (r) Gen. 23. v. 32. Deut. 15. v. 2. (s) Nebem. 5. v. 7. (t) V. Buxtorf. in Rad. משכנתא p. m. 484. & 485. (u) Lev. 25. v. 36. Prov. 28. v. 8. (x) Thomas 22. qv. 78. art. 2. ad 3.

mediate, & absq; intentione ad id obligandi ex vi contractus non censetur Usura. Verbi gratia: si mutuarius ratione amicitiae, quae ex mutuo inter lucrosos resultat, aliquod munusculum postmodum offerat (y). Additur: *ex mutuo*, quia si quod iniquum lucrum proveniat ex venditione, locatione, conductione aut similibus, ut quando res venditur aut elocatur supra vel infra justum pretium, est quidem injustum, non verò statim Usurae rationem obtinet.

VI. Definitionem excipit *Divisio*, quae Usuram dispescere solet in *Lucratoriam, Punitoriam, & Compensatoriam*. *Lucratoria* (Jctis illicita & immoderata) est Usura mordax atque furto deterior, cum, ob solum mutuationis officium, pretium injustum & illegitimum exigitur (z). Haec est ista Usura, quam S. Biblia prohibent, quam Canones Conciliorum & Patres Ecclesiae detestantur, quam Ethnici quoque improbarunt. Ita enim Cato rogatus, *quid maxime in re familiari expediret?* respondit, *benè pascere, quid tertium? benè vestire, quid quartum? arare, & cum ille quæsierat dixisset, quid fœnerari?* tum Cato: *quid hominem, inquit, occidere?* (aa) Quorum calculis libenter & nostrum addimus. *Punitoria* est, quae tanquam multa debitori ob moram solvendi infligitur; quando nimirum statuto tempore fors non redditur. (bb) Hic tamen certae quaedam conditiones observari debent. 1. Ut ejusmodi pactum non fiat in fraudem ad palliandam usuram. In fraudem v. fieri praesumitur, quando mutuans non est sollicitus, aut curat, utrum solutio suo tempore fiat nec ne, sed magis desiderat non fieri, ut possit multa lucrum assequi; deinde si terminus restituendi nimis brevis constituatur, intra quem scit non restituere posse mutuarium. 2. Ut mutuarius verè sit culpabilis, ratione solutionis non praestitae suo tempore. Si etiam commestationibus, aut aliis indebitis modis sua absumsisset bona, unde facile providere poterat, secuturam illam impotentiam, non foret ab obligatione poenae eximendus. 3. Ne poena sit immodica, sed debet esse juxta mensuram culpae. 4. Ut

mora
(y) Dicastillo loc. cit. VViggersius tract. 5. de Just. & jur. c. 6. dub. 2. (z) Vid. l. 22. & 29. ff. de usuris rei judicatae. (aa) Cic. 2. Offic. sub fin. (bb) Borchold. cap. 2. de divisione Usurae, & cap. 3. ex qu. caus. debeantur usurae p. 50. & 63. Hemmingius c. 6. de contractibus p. 420.

mora sit notabilis; non enim unius diei, vel etiam septimanae inter-
vallum debet ordinariè computari sufficiens ad poenam incurren-
dam (cc). *Compensatoria* (Ictis licita & moderata, imprimis
Interesse, Theologis census annuus, seu pensio annua salutatur) est,
quando pro centum mutuatis non ad proximi sustentationem, sed
ad majus lucrum faciendum quinque quotannis floreni accipiuntur.
Fundamentum hujus divisionis vide sis apud Magnif. Dn. D. Stru-
vium edecumatae eruditionis virum, mihiq; cum essem in Jenensium
Academia, faventissimum, in *Syntag. Jur. Civ. Exercit. 27. lb. 43.*

VII. Properamus jam, observatis disputantium legibus,
ad *Usurarum Causas*; Cum cujusque rei potissima pars,
cognoscere causam *l. i. ff. de O. 7.* unde omnis scientia solida con-
stansq; cognitio ac demonstratio desumitur; adeoq; non absrefacturi
sumus, si illas ordine consideremus. Primas autem tenebit *Causa*
Efficiens, quæ multipliciter distingvitur: potissimum v. in Inter-
nam & externam; illa vocatur *αεγνυσμείνη*; hæc verò *αεγναταεγνη*.
Causa impulsiva externa duplex esse videtur, alia ex parte mutuo-
ris, alia ex parte mutuatarii. Ex parte Creditoris est abundantia pe-
cuniæ, quæ in cistulis delitescit, unde nullum usum nec ullam utili-
tatem sentit. Ex parte Debitoris est indigentia pecuniæ, quæ nego-
tari & oblatâ occasione lucrum captare potest superfluum. *Causa*
impulsiva interna est intentio & appetitus nimii lucri, quod Credito-
rem ad facilius mutuandum impellit. Affectus enim ubi conci-
tantur vehementius, sæpe seditiosi vel Regiam rectam rationem so-
lio suo deturbant, vel imperium ejus saltem eludunt (dd). Quos re-
ctæ rationi refragantes Philo Judæus allegorizans clamori filiorum
Israël saltantium circa vitulum aureum comparat (ee). Hinc fœne-
ratores summo studio eò incumbunt, ut pecuniam undiqve corra-
dant, parent, paratam habeant, vel bona infrugifera præsentî pecu-
nia vendant, vel ab aliis levi fœnore accipiant, atq; sic mensam suam
in exhaustis nummis instructam teneant, ut aliis fœnerare valeant.
Refert enim Historicus (ff), *Cesarem olim Augustum notasse aliquos,*

quod
(cc) Vid. Excell. D. Wendeleri Disput. Pol. de Usuris anno 1650. hab.
lb. 16. seqq. D. Strauch. Ictus Jenensis in dissert. 18. apher. 17.
(dd) Aristoteles lib. 3. Pol. c. 15. & 16. (ee) Philo lib. de Temulentia.
(ff) Svetonius in vita Augusti, 39.

quod pecunias levioribus usuris mutuati graviore fœnore collo-
cassent.

IIIX. *Materia* Usurarum vulgò triplex statuitur. 1. Materi a
ex qua, quæ propriè sic dicta materia est, & vocatur illa causa, ex qua
aliquid fit, vel constituitur. 2. Materia in qua, quæ dicitur Subjectum,
cui accidentia inhaerent. 3. Materia circa quam, cui respondet Obje-
ctum, circa quod aliqua potentia versatur. *Quoad materiam ex*
qua. Cum thema nostrum sit accidens, accidentibus verò nul-
la materia re spondeat propria, proinde etiam hic locum non habet:
nisi forsitan quis vocabulum eò extendere velit, ut materia interdum
idem sit ac Genus, seu pro conceptu quovis latiori accipiatur, atq; ita
analogicam quandam & quasi materiam, quæ actionem Physicam in
se indifferentem respiciat, statuatur, quod sanè ἀκυρολογίαῖν arbi-
tramur.

IX. *Materia in qua* est Subjectum, quod personas mu-
tuantes respicit. Sunt autem personarum mutantium seu lucran-
tium duo genera, nimirum privata & publica. *Privata* Græcis
δαμειταιῖν erant, qui pecuniam ne sibi otiosa esset, in quæstu ac reditu
habebant, si quando eâ abundarent. *Publica* personæ sunt fœnerato-
res, quas Græci τραπεζίτας (gg) vocabant à mensis, quas in foro po-
sitas cum nummis in his publicè expositis habebant, ut omnibus fœ-
neratò accipere volentibus pecunias expensas ferrent. Tales Lati-
ni salutare solent. 1. *Mensularios* (bb), à mensulis, h. e. tabulis, apud
quas æri alieni solutionem faciebant. 2. *Numularios* (ii), à numu-
lis; quod majoris pretii nummis acceptis, numulos i. e. minuscularum
monetam per partes reddebant, aut certæ regionis pecuniam alte-
rius regionis numismate permutabant. 3. *Colletariios* (kk). 4. *Argen-
taria mensæ Exercitores* (ll), 5. *Argenti distractores* (mm) & c. Cam-
pores antiquitus nominabantur, à vocabulo Cambio, quod idem
est ac permutatio, juxta cap. 1. §. cum a. si de investit. Feud. contro-
vers. fuerit, cap. 1. §. si quis Dominus, quo tempore miles & c. ibique
Gloss.

(gg) Salmasius de fœnore trapezítico in proœm. (hh) Sveton. loc. cit.
cap. 4. Livius lib. 7. c. 21. & lib. 33. c. 21. (ii) l. 7. §. 2. ff. depositi. l. 39. ff. de
solution. Vid. Jac. Aleman. de jure monet. Consult. 8. qu. 17. (kk) l. 16. c. si
cert. pet. Symmach. in Epist. 28. ad Theodos. (ll) l. 4. in pr. ff. de edend.
(mm) l. 19. l. 25. §. 1. ff. de aur. & argent. legat. l. ult. C. de pignorib.

Gloss. Quâ significatione apud Hispanos etiamnum usurpatur, indeque qui Cambium exercet, apud eos *Campfor*, apud Castellanos *Cambiodor* dicitur, teste P. Aug. Morla in *empor. Jur. part. 1. tit. 8. q. 25.* Hodiè vulgò *Bancarii* salutantur, Gallicè *changeurs*, *banquiers*. Italicè *banchiere*, *banco di cambii*, argentaria mensa. Unde *banquesalliti* argentariæ mensæ everfores, item *banc-carotti*, quasi bancam i. e. scamnum & mensam ruperint, dicti, die den Wechselfisch oder Wechselbank darob das Interesse laufft gebrochen d. i. auffgegeben und aufgelassen. Quos Galli *banqueroutiers* vocant. Est quippe Francis *faire banqueroute*, quod Græcis est ἀνασχευάζειν τὴν τεράπιζαν, μετοικίσεσθαι; Latinis, negotiationem mensariam abrumperè, solum vertere, foro cedere. &c. Vide si lubet *Speidel. notab. Jurid. hist. polit. in voce Banquerottirer.* *Goehofr. Jct. in not. ad l. fin. C. de curat. bon. dand. P. Gregor. de usur. lib. 2. c. 2. n. 1. & Ejusd. Syntagm. lib. 22. c. 9. n. 11.*

X. *Materia circa quam* est Objectum, quod respicit vel res vel personas. Res sunt in genere τὰ χεῖματα, ut Philosophus appellat, primariò pecunia, secundariò omne id, cujus pretium pecunia mensurari potest. Personæ sunt illi, qui nummis indigent, ex quibus vel nudè vivunt, vel se suosque sustentant vel negotiantur. Tres igitur hominum classes Theologi constituent (nn). 1. *Quidam sunt extremè pauperes*, qui ne unum habent scrupulum, quem hirundinibus hospitis ostenderent. Welche ihren Brunnen zuvor bis auff den Boden gegraben/und doch nichts gefunden / ut inquit Dn. D. Dannhavverus, (cujus humanitatem Argentorati mihi exhibitam gratâ mente recolo) in *Lacte Carccb. p. 330.* Hi quoniam non habent, unde vivant, nec solvendo sint, si quid mutuò detur, sunt adjuvandi Eleemosynis; his ita dandum est, ut penitus nihil speretur. 2. *Quidam sunt indigentes*, qui angusto lare vivunt, (von der Hand ins Maul) quorum

-- -- --
paternum
Splendet in mensa tenui salinum (oo),

His, quoniam mutuuum accipiunt ad sustentationem necessariam, & B pecu-
(nn) B. Gerbard. *Locc. Theol. Tom. 6. de Mag. Pol. pag. m 922.*
& B. Meisner. in *Pb. Sobr. part. 3. sect. 1. c. 6. (oo) Horat. lib. 2. Od. 16.*

pecuniæ indigent, licet quædam bona possideant, quæ quidem non lucrari & negotiari, sed tantum præsentî succurrere necessitati cupiunt, de nostra abundantia gratis mutuare tenemur ex Christiana charitate. Sors quidem ab ejusmodi hominibus repeti potest, si verò aliquid ultra sortem exigatur, damnabilis erit usura, quia proximus mordetur, quippe qui nihil lucratus est; sed tantum præsentî necessitati subvenit. 3. *Quidam sunt opulenti*, qui pecuniam à nobis non propter urgentem aliquam necessitatem expetunt, sed ut nostra pecunia negotientur, & in suos usus impendant. Cum his contractum inire possumus legitimum, citra Charitatis violationem, & legum transgressionem, ut quotannis pro centum florenis quinque persolvant.

XII. Nunc de *Forma* dicendum est, in quâ potissimum Disputationis nostræ cardo vertitur; hæc enim dat esse rei, hæc actum informat, ut vel bonus vel vitiosus evadat. Est autem illa communis & propria. *Communis* est ἀταξία, vel inordinatus agendi modus, qui omnia vitia respicit. In omni enim vitio ἀταξία requiritur, quæ illum actum aliàs indifferentem ita informat, ut in vitium degeneret. Hinc tria in quavis actione vitiosa præsupponuntur, (1.) motus internus, nempe volitio, (2.) motus externus, qui est actus Physicus seu naturalis, (3.) ἀταξία accedit, & facit, ut illa interna vel externa actio non sit, qualis cum rectâ ratione & mandato divino congruit. *Propria* est, quæ actionem aliquam in specie ac determinatè reddit vitiosam; Estque hoc loco rigorosa & illegitima exactio lucri, quod ab egenis ob exiguæ usum pecuniæ ad breve tempus, & sine lucro tantum pro vita sustentanda usurpatæ tanquam debitum avari homines extorqueri non erubescunt:

-- -- *Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? (pp)*

Exactio v. lucri in genere considerata simpliciter neque bona neque mala est, sed ex illarum rerum genere est, quas Philosophus τὰ μέσα seu mediæ naturæ vocat, quæ proinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet, qui uti scit, ei bona, illi, qui non utitur rectè, mala sunt

(pp) *Virg. Aeneid. v. 56.*

sunt. Propterea B. Meisnerus (qq) inter alias Usuræ conditiones & illam ponit, ut, si usura esse debeat, cum damno & detrimento proximi semper conjuncta sit. Hinc quæritur

I. *Quinam Usuræ labem incurrant?*

R. 1. Qui mutuam sub usurisita, ut artis instar exercent, cum alias possint suscipere negotiationes, malunt tñ. ex mutuo lucrari, quia vident rationem illam faciliorem & minori cum labore ac periculo conjunctam. (rr) Hi enim peccant in doctrinam de communicatione rerum in societate civili, in qua DEUS & natura vult charitatem exerceri, non ut unus tantum commodum sentiat, reliqui labores & pericula sustineant (ss). 2. Qui personarum respectum non attendunt, sed indiscretè tam ab opulentis quàm egenis lucrum exigunt. 3. Qui singulos menses ac septimanas rigorosè observant & pro mora non notabili ut pœnam exigunt. 4. Quando magis contrahitur vel clam promittitur, quàm æquitas & Jus Civile permittit. 5. Quando contra charitatem Christianam in jacturis mercium exactè & ad amissim extorquetur. 6. Qui merces, propter moram solutionis non magnam, carius justo vendunt, vel vilius emunt ob pecuniam anticipatam. Denique est insaturabilis usura, (Græcis ἀνατοκισμός) quæ semper crescit, nunquam quiescit,

2. *Quibusnam licitum sit censum, vel pensionem illam annuam accipere?*

Dico 1. Quorum intentio magis est subveniendi, quàm lucrandi. 2. Qui vel propter officium vel valetudinem, vel ætatem, vel imperitiam vel aliam conditionem exochicam negotiari nequeunt, il-

B 2

li de

(qq) B. Meisner. in part. 3. Phil. Sobr. sect. 1. c. 6. qu. 1. (rr) D. Dannbavver. in Laet. Cath. loc. cit. (ss) D. Chemnitius in Locc. Theol. Loc. de Lege c. 6. Conferantur hîc quoq; Magn. D. D. Ziegleri prælect. publ. ann. 1668. in Decretal. ad c. de jurej. 1. Hottomannus de Usuris p. 508.

li de abundantia sua licite negotiatori opulento mutuare possunt, ac de illius lucro participare (tt); proinde à contractu Societatis non multum differt, ille enim pecuniam, hic industriam & laborem, qui pretio æstimabilis, elocat. 3. Viduæ & pupilli, quorum reditus aliàs non ita sunt opimi, talem contractum licite inire possunt, ita tamen ut Christianam æquitatem semper tanquam statutam Mercurialem sequantur.

3. *An illa pensio annua ab initio possit deduci in pactum?*

Scholastici negant: Ego verò contrarium defendo his rationibus: 1. Ob ingratitude[m] hominum. Ita enim sunt nostri divites, inquit Comicus (uu), si benè quid facias levior pluma est gratia. Siquidem propter peccati originalis labem tanta plurimorum animos occupavit ἀχαρῖστία, ut pecuniâ mutuò acceptâ quasi inventâ utantur, nec de restitutione cogitent. 2. Lites in infinitum excitarentur, & ResPublica continuis litigationibus atque querelis oneraretur (xx). 3. Nihil videtur obstare, quò minus quis possit civiliter obligari, ad quod naturaliter tenetur. Jam v. naturaliter obligatur ad beneficium agnoscendum & ἀντίδωρον aliquod reddendum.

4. *An talis contractus etiam cadat in amicos?*

Præconciipiendum est, triplicem ratione objecti dari amicitiam: Honestam, Utilem & Jucundam. Sola autem honesta perfecta habetur, & propriè sic dicitur amicitia. Amici igitur de quibus hic loquitur, sunt honesti, cæteris nomen analogicè tantum competit. Negatur v. quæstio, 1. quia amicitia perfecta non est de numero eorum, quæ pecuniâ aut pretiò æstimantur. 2. Amicitia vera est interna. E. in eam pactum cadere non potest. 3. Ubi est inten-

(tt) Thomas Aquinas loc. cit. VVesenbec. de Usuris p. 685. (uu) Plaut. in Pænulo act. 3. sc. 6. (xx) Emantzkus exerc. 9. Jur. quest. 4. B. Dn. D. Gerhard. loc. cit.

intentio lucri, ibi cessat vera amicitia. Nec obstat, quod Aristoteles (yy) amicitiam dividit in *νομιμὴν* legitimam & *ἠδύμην* moralem; potius enim ad amicitiam utilem, quam honestam respectum habet. Absit tamen, ut ejusmodi amicitiae actus hinc excludamus, quando officia non ex pacto & conditione, sed ex mutua benevolentia & utriusque arbitrio compensantur.

f. An etiam ab hostibus exigenda sit usura?

Sic putat Ambrosius (zz), dicens: *ab illo exige usuras, cui merito nocere desideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime indicatur usura.* His consentit Cicero (aaa): *Non est contra naturam, spoliare eum, si possis, quem honestum est necare.* Ex hac ratione etiam olim Judæis concessum fuisse, ait B. Hunnius (bbb), ut ab extraneis acciperent usuras non à quibusvis, sed ab illis, in quorum medio habitabant Israëlitaë, quales fuerunt Gentes Cananææ, quæ, cum alioquin fuerunt judicio Domini destinatae ad exitium propter abominationes, quas fecerant in terra, & earum facultates unâ cum tota illa regione vi juramenti divini spectarint ad populum DEI: Et verò Cananæi non simul ac semel expelli vel exterminari quiverant; Ideò Dominus inter reliqua media hoc etiam concessit Israëlitis, ut possessiones eas, quæ alioquin ipsis decretae fuerant, hoc interveniente medio à Cananæis tanquam injustis possessoribus ad se traducerent. Thomas Aquinas vult permissionem illam factam fuisse ob majoris mali vitanda gratia, ne fratres suos usuris exhaurirent (ccc). Magis v. nobis eorum assertio placet, quæ ita sese habet (ddd): Permisit DEUS erga peregrinos usuram non injustissimam, sed quodammodo legitimam, & juri naturæ non planè contrariam, quam in fratres exercere erat illicitum, in omnes v. alios permittebatur eodem modo, sicuti nemini Israëlitarum severum in suos dominium concessum erat, imò nec servum vel ancillam ex Judaica plebe conducere, sed famuli sibi apud peregrinos quærendi erant.

B 3

6. Quid

(yy) *Aristot. lib. 8. Eth. c. 13.* (zz) *Ambros. c. 15. lib. de Tob.* (aaa) *Cic. lib. 3. offic.* (bbb) *Hunnius in Comm. ad 2. Cor. c. 8. v. 13.* (ccc) *Thom. 22. q. 78. art. 1.* (ddd) *Dannhauv. in lact. Catech. l. 6.*

b. Quid & quantum accipere liceat?

Respondetur non solum in specie pecuniam, sed omne id, quod pretio æstimabile, quemadmodum etiam objectum usuræ non in sola pecunia, sed in aliis quoq; rebus pretio mensurabilibus consistit. Quantum autem licitum sit notandum, Jus Civile in usuris permit- tendis admodum moderatè processisse (eee). Nam in fœnore nau- tico duodecim pro centum permisit, quia ibi simul periculum fortis mutuanti metuendum erat, in aliis octo pro centum, in aliis sex vel quinque pro centum determinavit. Nos arbitramur quin- cunces in genere optimam esse proportionem, quando vigesimus quisque florenus in pensionem annuam solvitur.

XIII. Restat ut Finem atqve Effectum paucis quoqve attinga- mus. *Finis* usurarii rigorosi *internus* est nimium ditescendi stu- dium, & quidem in tantum, ut ejus appetitus in infinitum proce- dere videatur (eee). Hinc Solon sapientissimorum quidam Atheni- ensis dicebat: *πλῆτῃ δ' ἔδεν τέλος πεφασμένον ἀνθρώποις κείται.* *Divitiarum nullus est finis constitutus hominibus.* *Finis externus* est divitiarum acervus, & pecuniarum multitudo, in quibus Sum- mum Bonum avari homines collocant,

-- ut quidam memoratur Athenis
Sordidus ac dives populi contemnere voces
Sit solitus: populus me sibilat, at mibi plaudo
Ipsè domi, simul ac nummos contēplor in arca. (fff)

XIV. *Effectus primarius* est (i.) disruptio societatis humanæ; Per æqualitatem enim societas hominum & status Rei- publ. conservantur. Sed Usura reliquis exhaustis ad unum omnia transfert, & detrimentum Reipubl. affert. Sic enim relatum legi- mus apud Florum (ggg), *primam Romani Imperii discordiam ob fœ- neratorum impotentiam fuisse ortam.* Hinc Salustius Cæsari olim de benè ordinanda Reipubl. hoc suppeditabat consilium: *Tollen- dus est fœnerator imposterum, uti suas quisq; res curemus, ea vera atq; simplex via est, Magistratum populo, non Creditori gerere, & magni- tudine*

(eee) *Arist.* lib. 1. *Polit.* c. 8. *Christoph. ab Hagen de usu usurar.* c. 4. *seqq.* (fff) *Horat.* lib. 1. *sect.* 1. (ggg) *Flor.* lib. 1. c. 23. *Salust.* in *Orat.* ad *Cæs.* de bene ordin. *Reipubl.*

moderantiam in addendo non demendo Reipubl. ostendere. (2.) Avaritia in quam incurrit, quippe qui adeo aspectu auri delectatur, ut ne quidem attingat, & in suum commodum expendat. Secundarius effectus est partim idololatria (de virtute sc. in virtutem). Obliviscitur enim divinæ benignitatis; & cogitationes omnes in auri massam defert. Partim odium & invidia, quam in se concitat, quia aliorum injuriâ divitias illas acquirit.

XV. De Adjunctis, affinibus, contrariis, de comparatis & poenis usurariis constitutis ut dicamus, nihil attinet, quicquid enim dixerimus, minus erit. Concludimus igitur hasce nostras theses & petimus

τοῖς παραλελειμένοις συγγνώμην.
S. D. G.

COROLLARIA.

Quod & Ethices sit agere de Usuris, ita colligunt: De quocunque Jctus agit, illius ferè prima principia in Ethica sunt monstranda. Atque Jctus agit de Usuris. E. Usura prima principia in Ethica sunt monstranda.

Major probatur à communi proverbio: *Ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jurisperitus*, h. e. quod Ethicus sub ratione communi tradit, illud Jctus assumit, & ad certas personas, ad certas actiones, ad speciales casus applicat atque determinat. Qua in re assentientem habemus Ciceronem, forensis & prosæ eloquentiæ Principem, qui ita loquitur: *Jurisdisciplinam non à Prætoris edicto neq; à XII. tabulis, sed penitus ex intima Philosophia hauriendum esse, eamq; ab hominis natura repetendam: & qui aliter Jus Civile tradant, eos non tam justitiæ quàm litigandi tradere vias. Lib. 1. de Legib.*

2. *Usuram compensatoriam* (contractum redemptionis vel revenditionis, Zinskauff / wiederkaufflichen Zins) *licitam esse constat.* Quia auctoritate Imperatoria Anno xxx. in Comitibus Augustæ habitis, approbata est. Deinde auctoritate Pauli 2. Cor. 8. *Ne aliis*
sic

se relaxatio: vobis autem afflictio. Huc accedit charitas Christiana, quæ à se incipit; cui suffragatur Jus naturæ. *Matth. 7. Quicquid vultis ut vobis faciant homines, vos itidem eis facite.* Porro ita argumentatur: Si Evangelium non abolet ipsas politias, utiq; neq; leges politicas, quæ ceu fundamentum politiarum sunt, tollet. Atqui *leges politicae concedunt Usuram compensatoriam. E. etiam Evangelium eandem non prohibebit.* Quod connexionem Majoris attinet, illi nemo refragari poterit; aliàs Christus ad abrogandas leges in mundum venisse statueretur, quod *ἄτοκον* & absurdum.

3. An Canonici Lutherani bonâ conscientia de bonis Ecclesiæ participare, vel præbendas Ecclesiasticas accipere possint? Quod affirmatur tam *jure divino*, quàm *humano*; Illo quidem, quod extet exemplum Renitarum, agnatorum Josuæ, (qui secundum *Corn. à Lapide in c. 1. Reg.* primi fuere Canonici), quibus Caleb, etiam præter eorum hæreditatem, bona contulit, ut eò melius statui suo consulere possent; quod si a. hi omnes præsciivissent, citrà jacturam bonæ conscientia, talia bona usurpari non posse, utiq; non contribuissent, non usurpassent: Si v. tum justum & æquum fuit, utiq; & hodiè justum erit. *Jure humano*; quia (1.) in eum finem præbendæ illæ Ecclesiasticæ à Regibus, Principibus & Nobilibus donatæ & largitæ fuerint. (2.) Quia ipsi Deo in Ecclesiis serviant, orando, cantando, & alia sacra, quæ extrâ Altare & Cathedram sunt, peragendo, & secundum Regulas, sibi à piis Majoribus præscriptas vivendo 3. quia eorum Majores ipsi ad foundationem Capitulorum partem contulerint, cujus jam fructum percipiunt. Possunt igitur bonâ conscientia de redditibus Ecclesiasticis participare Canonici illi Lutherani, modò in pietate constantes, bonum Ecclesiæ & Reip. pro virili promoveri studeant; quæ de re *B. Balduin. in Cas. Conscient. lib. 4. c. 4.*

4. In summæ necessitatis casu panem vel alia commestibilia propriâ auctoritate aufferentem, furtum propriè non committere, communis Theologorum, Moralistarum & Interpretum Juris sententia est, *uti videre licet ap. Thom. Covarruv. Layman. Dicastill.*

Lesium & alios. Conf. Tiraq. de pœn. temp. caus. 83.

Frantzck, lib. 2. var. resol. 7. n. 33. Zoës. & Val-

lens, in tit. X. de furt.

F
I N I
S.

*Perleg. d. 14 Mart.
1695.*

DS A 1455

ULB Halle 3
003 777 804




1077

art.







58

DE. USURIS.
PRÆSIDE.
JO. FRIDERICO. SCHARFIO. F.P. ADJ.
PUBLICE. DISPUTABIT.
SAMUEL. JORISCH. TORGA - MISN.
AD. D. XXVII. M. JUL. CLC. IXC. LXX. H. LQ. C.

WITTEBERGÆ.
LITERIS. VVENDIANIS.